

posteriora, cum non semper adsint in iis, quæ ob voluptatem geruntur, at sæpe sapiens deficient, id propter violentia dicenda minime esse existimamus.

§. VI.

Ex doctrinâ hâc jam sequitur, quod violentia sive coactio tantùm spectetur in *actionibus*, quas vocant, *imperatis*, non autem in *elicitis voluntatis actionibus*. Nam cogi voluntatem circa actus elicitos & internos est voluntatem elicere actum aliquem, qui non sit secundum ipsius inclinationem, sed potius inclinationi ipsius repugnans. Sed talem actum à voluntate elici est impossibile, esset enim sic simul voluntarius, quia à voluntate eliceretur & involuntarius, quia esset contra inclinationem voluntatis. Igitur voluntas secundum huiusmodi actum internum & elicitem cogi & violentiam pati nequit. Hinc illud *ἡ βούλησις ἀναγκαστὴν οὐ δύναται* natum: *Voluntas non potest cogi*. At verò hic obstare videtur, quod utique voluntati quoad actus elicitos vis inferri posse videatur, quia Deus potest efficere actum aliquem, quæ voluntas ipsa minimè eliciat. Suppositio jam hęc nihil videtur obstare, quo minus actus ille sit odium, quò homo persequitur se ipsum. *Cum autem huiusmodi actus sit contra naturam voluntatis, omnes enim naturâ sese diligunt, fieri utriq; poterit saltem per potentiam DEI, ut voluntas hominis quoad huiusmodi actum interiorem vim patiatur.*

§. VII.

Ad hoc ut commodè respondeatur, sciendum, quod sicuti dupliciter accidit, rem naturalem aliquam vim pati, scilicet vel *positivè*, vel *negativè*; & *positivè* quidem, cum v. g. lapis violententer sursum impellitur; *negativè* autem, cum contra naturalem suam inclinationem prohibetur descendere. Sic etiam dupliciter intelligi potest; *Voluntatem cogi quoad actus suos elicitos*: Unò quidè modo *positivè*, si scilicet ab extrinsecò quòdam principiò cogeretur habere actum internum, qui repugnet ipsi inclinationi, & hoc modo voluntas cogi non potest, ne quidem per potentiam DEI absolutam: quod ostenditur; quicumque actus in voluntate ponitur, ille aut est verè actus voluntatis, aut

non